



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Schefferi Argentoratensis De Re Vehiculari Veterum Libri Duo

Scheffer, Johannes

Francofurti, 1671

Cap. XXXIII. De vehiculis aliquibus putatis falso, maleve intellectis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13156

lus, ait, ut consuetudo fert, à curru diminutio est: Dicitur brevissimum vehiculi epiroti genus. Nisi genus epirotum hic accipiamus, quod fit rotis instructum, oppositumque illi, quod rotarum vice sustinetur tignis, sicut trahæ solent. Quicquid verò sit de epiroto, epihedium existimo fuisse rhedæ simile, sed aliquanto minus, ita dictum, sicut ab epistola est epistolium. Habuit de cætero adjunctos eqvos, verum inertes ignavosque, sicut Juvenalis docet, in superius producto loco, ubi *segnipedes* appellat, & comparat cum asinis. Usus epihediorum qualis fuerit, non licet divinare, quia nil de eo prodidere veteres, quod sciam. Illud liquet, genus tardum fuisse, nec adhibitum ad cursum, verum onera. Ideò *segnipedum* in eis locus, qui alias debuissent esse celeres. Sed & colla trita ideò in jumentis illis Juvenalis notat, quod sine dubio à difficultate laboris in commovenda gravi mole:

-- Dominos pretiis mutare jubentur
Exiguus, trito ducunt epihedia collo
Segnipedes, dignique molam versare Nepotis.

Denique contemptum vileque genus liquet ex his verbis habitum, quippe cui adjuncti viles eqvi. Atque hoc de epihediiis.

Cap. XXXIII.

De vehiculis aliquibus putatis falso,
maleve intellectis.

Tintinnabulum non est de genere vehiculorum. Scaliger revellitur & Lambinus. Gronovius laudatur. Lucilius explicatur. Pampillum. Lampridii locus examinatur.

EXECUTI sumus, quantum scimus, omnia vehicula, quorum mentio est apud veteres. Sed quia sunt, quæ vulgo pro vehiculis habentur, necdum nominata nobis, ideò & de ipsis aliqua dicemus. Primum, quod hic memorari debet, est *tintinnabulum*. Id ex Plauto & Lucilio Scaliger vehiculum est commentus. Verba Scaligeri leguntur

leguntur ad Varronis lib. de LL. IV. ubi sic ad vocem *sirpea*: *Sirpea*: *Lucillius*: *Tintinnabulum* abest hinc, *sirpicula* que olerorum. Est autem *vehes* ex crate. Sunt enim hic duo genera vehiculorum, *sirpea* aut *sirpicula*, & *tintinnabulum*. De *sirpeis* habes hic apud Varronem. De *tintinnabulo* non ita cognitum omnibus. *Plautus Pseudolo*:

-- -- *Lanios* inde arcessam duo cum *tintinnabulis*.

Eadem duo greges *virgarum* indidem *ulmearum* adegero.

Quod tamen vocabulum *Scholasticorum* & *Grammaticorum* nationi antea ignotum fuit. Servat expositionem hanc *Lambinus* in suis ad *Plautum* *Commentariis*: Cum *tintinnabulis*, ait, cum *vehiculis*. Nam *tintinnabulum*, prater *vulgatam* significationem, genus vehiculi est, quod indicat *Scaliger Iosephus*, *Comment. in Varr.* Eandem amplectitur & *Douza* in *Comment. ad Lucilium*. Verum mihi rectiora longe, quæ ad *Plauti* locum super hac re scribit incomparabilis *Gronovius*. Apponam cuncta ejus verba, quia mirè faciunt ad rei illustrationem: Quid fuit in mentem *Scaligero*, quum ad quartum *Varronis* notaret, duo esse genera vehiculorum, *sirpeas* & *tintinnabula*, & insultaret *Scholasticorum* ac *Grammaticorum* nationi, quibus hæc essent ignota vocabula? Quid illis, qui toties hoc ex illo scribunt? Imò nec *sirpea* vehiculum est, sed imponitur vehiculo, nec *tintinnabulum*, sed si quando appenditur. De *sirpea* alibi. Sed dixerit *Lucilius*: *Tintinnabulum* abest hinc, *sirpicula* que olerorum. Quid hic, quamobrem credam ea esse vehicula? Quid in loco *Plauti*? Palam est, *carnifices* & *tortores* describi, qui solebant cadere *καὶ τὸν πορροῦν ἄσας*, ut ab aliis jam notatum. Et tamen etiam *nolas* ad usum sacrificiorum comminiscuntur. *Lusus* est *servuli*, qui de supplicio, quo vult mactari *Lenonem*, loquitur, quasi de sacrificio, quo is, quem *Iovem* sibi fecerat *herus*, mactetur. Itaque pro *carnificibus* dicit *lanios*, quasi *victimarios*, sed cum *tintinnabulis*, quibus *carnifices* ornabant *naxios*, pro *hostiis*, greges *virgarum ulmearum*, vel *virgas* in fascem colligatas. Isthæc *optimus Gronovius* eruditissime: Neq; dubitari debet, quin *tintinnabulum* loco nullo vehiculum significet. Quid tamen est, quod *Lucilius*, ubi de *sirpiculis* agit, *tintinnabuli* facit mentionem? Quo ista pacto coherent? Puto usum figura, quam appellant *ἐν δὲ τῷ δὲ οὐν*, & *tintinnabulum* *sirpicula* que

lasq; posuisse pro sirpiculis cum tintinnabulo. Erat ea consuetudo veterum, ut res venales indicarent pulso commotove tintinnabulo. Ita solebant Græci, cum vendendi pisces essent, quod ex Strabone aliisque annotarunt viri docti. Hoc modo Romæ etiam existimo vendidisse holera. Habebat vehiculum seu plaustrum appensam campanulam, cujus sono admonerentur, si qui vellent emere, adesse venalia. Et hoc credo intelligere Lucilium. Manet ea ratio hodieq; alicubi per Belgium aliasq; regiones, cum venale quid proponitur, & Argentorati, mea in patria, molitorum plaustris appenduntur tintinnabula, quo prætervehentes possint audiri, & frumentum ipsis offerri ad pistinum molamve farinariam deportandum. Idem observatur eo in genere vehiculorum, quo purgamenta platarum exportant, quod propterea *die Ringelkärdh* id est, *currus tinnientes*, vocant. Venio ad *Pampillum*, de quo Calepinus censet, quod ex genere fuerit vehiculorum. *Pampillum*, ait, *genus delicati currus*; laudatq; in hunc sensum verba Lampridii, ex vita Heliogabali desumpta. Calepinum exscripserunt Auctores Fori Romani, aliiqve, qui Lexica compilarunt. Sed *pampillum* nusquam legas alibi, nec est ulla ratio vocabuli illius, aut probabilis origo, sive Græca, sive Latina, unde corruptum esse intelligitur. Verba Lampridii leguntur cap. 29. *Iunxit & quaternas mulieres pulcherrimas, & binas ad pampillum, vel ternas & amplius, & sic vectatus est.* Ita habent veteres editiones, agnoscitq; Grutero teste etiam Palatinus. Sed, ut dixi, nusquam alibi *pampilli* vox occurrit. Quare sunt, qui *pompillum* maluerunt, ut à *pompa* videatur ortum, signetq; genus tale, quale Isidoro alicubi *pompaticum* vocatur. Ac à *pompa* rectè quidem oriri *pompaticum* apparet, sicut à *gramma*, *grammaticum*, à *sylva*, *sylvaticum*, & huiusmodi. At, quo pacto à *pompa* sit *pompillum*, non æquè possis dicere. Dein non magis legas alibi *pompillum*, quam *pampillum*. Deniq; totus locus docet, agere Lampridium de re nota, faciliq; intellectu. Idèò vocem affert nudam, nihil addit explanationis gratia. Quare verisimile non est, scripsisse *pompillum*: cum, ut maximè accipiamus pro vehiculo *pompatico*, de hoc ipso,

quale sit, interrogari queat. Fuerunt enim multa diversaq; in pompis vehicula, bigæ, quadrigæ, currus, carpenta, thesæ, ac id genus. Ne ipsæ pompæ quidem unius ejusdemq; generis fuere, sed aliæ circenses, aliæ theatrales, aliæ triumphales ac deinceps. Ad postremum libri alij Lampridij, ad quos editiones optimæ sunt formati, non *pampillum* habent, sed *papillam*. Quanquam ne hoc ipsum quidem probum videatur. Ecquid enim hic *papilla*? Nam si mamma, quo pacto junctæ plures fuerunt ad mammam? Genus locutionis arguit, sermonem esse de diversis, & aliud, quod junctum est, aliud cui junctum est, intelligi oportere. Suetonius in Julio c. 31. *Mulus è proximo pistrino ad vehiculum junctis iter ingressus est.* Plinius lib. VIII. c. 16. de Leonibus: *Primus Romæ ad currum junxit M. Antonius.* Ipse Lampridius aliter non loquitur. ut c. 23. *Dicitur junxisse etiam camelos quaternos ad currus in circo.* Item c. 28. *Canes quaternos ingentes junxit ad currum.* Quando ergo ait, *junxit ad papillam*, non potest papilla mulierum junctarum intelligi, sed quid aliud, ad quod junctæ ipsæ fuerunt. At hoc vox papillæ non declarat; Unde sequitur, esse depravatam. Suspicabar aliquando, ad *plaustillum* legi oportere. Nam ex *plaustillum*, scribarum incuria potuit fieri primo *paustillum*, dein *panstillum*, & cum sit in Mss. parum differat a *p*, *pampillum* ac *pampillum*. Verum nolo conjecturam hanc tueri aduersus eum, qui quid melius excogitabit. Cum præsertim locus totus valde corruptus imo mutilus videatur. Ecquid enim est, quod primo ait, *junxit & quaternas & binas*, & statim post, *vel ternas & amplius*? Quo spectat illud *& amplius*? nam si ad quaternas, eæ vero jam antea enumeratæ sunt. Plane liquet esse hæc inepta, neq; sic à Lampridio formata. Id quod olim deprehendent, qui libros emendatiores consulent.